

2737

## HOMILETICI

2738

alia. Sed et finis ab *Editis* abit. Postquam enim dictum fuisset Martyris corpus ab Angelis in montem *Sinai* asportatum, subditur: Quo in loco innumera ad laudem dei fiunt miracula. Inter quæ et hoc unum constat insigne miraculum: quod de sepulcro ipsius riuus olei indeficienter manare uidetur. Nam et de minutis ossibus que de sarcophago cum oleo effluunt. ubicunque asportantur. salutaris olei liquor stillare non desinit. ex quo peruncta debilium corpora celeris medicine opem reportant. Passa est ergo beata *katerina* mense novembrio. uicesima. V. die. feria. VI. hora tertia. seruans uidelicet diem et horam qua christus pro mundi redemptione ad passionem properauit. cui honor &c. De oleo confirmat *Bern. de Breydenbach* in Itinerario *Mogunt.* 1486. f. et alias edito. Quid vero in uniuersum de his Actis sentiendum, praeclare, ut solet, statuit *Adr. Bailletus* in *Vies des Saints* T. III. *Paris.* 1704. *Mois de Nov.* col. 397. f. In *Cod.* iis alia sed coaeva manu subscriptum est: Domini mei ac fratres karissimi uobis certificare congratur (congratulari?) animus meus &c. Nam uerum esse nullo modo dubitatis. quia per totam italiam sepe et sepius probatum est quod uita sancte *Katerine* multum adiuuat infirmantes et ibi cum magna reuerentia obseruatur. Preterea sciatis. Quod si aliqua pregnans sit et laboret in partu. sicuti mos est mulierum. si uitam istam secum habuerit et eam legere fecerit. procul dubio absque mortis periculo liberabitur. Censu-

ram calamus paullo recentior occupavit addendo: *Falsum est et fictitium et plusquam apocrifum.* *Adi et Cod. CCCXXVI.* Ad Historiam *Codicis* pertinent, quae p. ult. leguntur: *Iste libellus spectat ad Johannem Staffelstein vicarium ecclesie Spiren. emptus ab executoribus quondam F. Kenniken vicarii ecclesie eiusdem. Et postea decedente prefato quondam bo. me. Johanne Staffesteyn de anno domini MCCCCLIX. Conradus Stol cuius Spiren. Sororius eius et heres uniuersalis librum hunc inter alia reliqua recepit et in potestatem Rabani Stoll filii sui dedit.*

## DCCLVI.

Codex membraneus lat. Sec. 427 partim XIV. partim XIII. 4. minute partim per 2. columnas, partim lineis longis exaratus, et quondam conuentus *Wienn. ordinis fratrum predicatorum in austria*, sequentia complectitur: I. *Sermo-nes aliquos modo figurativo compilatos quantum ad formam procedendi.* Themata dicas potius Sermorum ex aevi illius gustu multis diuisionibus, subdivisionibusque sca- tentia, quorum primum incipit: *Debet uidere anima deuota mentaliter et extacite (ecstacice) contemplari &c. Leuia omnia.*

II. fol. 23. sequitur *Congeries* quaedam ἀνεφαλος *Exemplorum* ex omni Historia citatis quam plurimis Autoribus, puta: *Seneca, Aristotele, Valerio Max. Solino, Cassiodoro, Pompejo Trogo, Boethio, Alberto M. Augustino,*

2739

CODICES

2740

*Floro* &c. Quadrata rotundis mixta accedente tamen ad calcem *Indice* materiarum.

III. fol. 31. p. 2. Incipiunt septem enigmata aristotelis moralizata que recitantur a Valerio maximo libro 3° ad Ruffianum. Nugae! Aristoteles pro Pythagora, inter cuius Ἰεῖα ἀποφθεγγματα Aenigmata nostra leguntur, et Liber III. Valerii Max. ad Ruffianum, cui quidem ortum dedisse videtur spuria illa Epistola Valerii ad Ruffinum, quae inter Hieronymo subposita habetur edit. Vallarf. T. XI. col. 240. quamvis in ea nil Aenigmatum horum occurrat. Moralizationis nostrae Autor christianus est; ita enim orditur: *Posside sapientiam quoniam melior est auro. Prov. XVI. Sepe contingit quod propter aurum homo spiritualiter ad mortem tendit* &c. Symbola vero, quae exponit, haec sunt: *Stateram non transfugas. Ignem ne foueas* (fodias σκαλευειν) *gladio. Coronam ne carpas. Cor non comedas. Cum profectus fueris, non redeas. Per uiam publicam ne ambules. Hirundinem in domo ne sustineas.* In quae qui commentati sint, habes in *Fabric. Bibl. Gr. L. II. c. 12.*

IV. fol. 33. iterum resumitur *Exemplorum* congeries n. 2. indicata, atque hic inter fontes *Innocentium III. de miseria conditionis humane* citari video, e cuius obitu an. 1216. iudicium saltem de aetate *Collectionis* istius ferri potest. Quin et Titulus ejus e fol. 37. innotescit, ubi legitur: *Incipit liber tertius tripartiti moralium.* Initium: *Sicut dicit ma-*

*crobius super sompnum scipionis* &c. et mox ait Autor: *Sequor autem in hoc* (libro) *potissime fulgentium* (Fab. Planciadem) *in l. mitologiarum.* Item *martianum* (Capellam) *de nuptijs philologie. et remigium* (Antissiodor.) *expositorem suum. alanum* (ab Insul.) *de planctu nature interponens* *hijis frequenter gratiosa figmenta esopi et m. Auiani.* Proceditur et hic ordine Alphabeti, ut in praecedentibus hujus *Tripartiti* fragmentis, primique Tituli sunt: *Aeterna uita. Anima. Aduersitas. Adiutorium. Adulatio* &c. Quod si de ejus Autore quaeras, in *Conradum de Halberstadt* O. P. vehementer inclinor motus maxime codice *ms. Biblioth. Metropolit. Magdeburgensis*, quem sibi hoc titulo: *F. Conradi de Halberstat Tripartitum Opus Morale juxta Alphab. seriem*, visum testatur *Burc. Gotth. Struvius Introd. ad notit. Rei lit. c. 4. §. 38. p. 191. Ienae 1706. 8.* Consentit Codex *Sanjacobeanus*, et testimonium *Ludovici de Valloleti*: *F. Conrardus fecit Tripartitam per Abecedarium*, in *Scriptt. O. P. T. I. p. 466.* ubi, ut mihi quidem videtur, non necessario plures *Conradi Halberstadiensis* statuuntur. Floruit Noster primo Sec. XIV. dimidio. Vide *Fabricii Bibl. med. Lat. L. III. p. 412.* Ceterum Opus istud probe distinguendum a sequenti ejusdem Autoris.

V. fol. 53. p. 2. *Tertia pars triuij Conradi de Halberstad ordinis pred. Et fol. 67. Prima pars triuij fratris Conradi de Halberstad.*

2741

## H O M I L E T I C I

2742

*stadi.* Mira confusio! Pars I. deficit in *Lit. D.* Pars II. tota abest. Sola III. integra in voce *Xtus* finitur. Est enim methodus alphabetica, ut in Opere superiore, cui etiam in eo geminum est *Trivium*, quod meris aliorum Scriptorum, et maxime Patrum sententiis constat. Initium ejus, quod et *Trithemius* in *Scriptt. Eccl. n. 502.* citat, est: *In tribus beneplacitum est spiritui meo. Eccl. 25. Quia tria ad hoc conferunt ut peccatores verbum dei gratius audiant — ideo illud opusculum trivium trium predicabilium nominavi &c.* Nihil itaque hic de *Grammatica*, *Rhetorica* et *Logica*, quod putabat *Fabricius l. cit.* omnia tamen stupendam Viri lectionem loquuntur, qua et in *Physicis* pro aevo suo valuisse testatur *Responsorium* ejus *Curiosorum*, quod ἀνεκδοτον visum *Fabricio*, anno tamen 1476. *Lubecae* f. impressum recensui in *Memorab. Bibl. Gall. P. I. p. 58.*

VI. fol. 71. Series sacrarum Dictionum, seu earum potius Adumbrationes, levis momenti.

VII. fol. 111. Incipit peregrinus de sanctis. Sermones hi a D. *Andreae* festo ad D. *Catharinam* pertingunt, hoc initio: *Vestigia illius secutus est pes meus: &c. Trithemius* in *Scriptt. Eccl. n. 384.* declamatorem ordinis praedicatorum vocat Autorem, qui teste *Quetiso* in *Scriptt. O. T. I. p. 551.* e Ducatu *Silesiae* ortus an. 1305. Provinciae *Poloniae* praeesse coepit. Editionibus Sermonum ejus tam de tempore, quam

de SS. anni 1481. 1493. 1495. quas excitat *Fabricius* in *Bibl. med. Lat. L. XV. p. 226.* adde Editionem 1484. *f. l. in f.* et aliam *f. l. et a. in f.* quae *Güntheri Zeiner Augustae* esse videntur.

VIII. fol. 139. Sermones VIII. ἀνεκδοτοι de variis materiis, quibus non est quod immoremur.

IX. fol. 149. manu Sec. XIII. fat nitida, sed multis vocum compendiis difficili *Canonica Collectio* ex PP. Conciliis, Pontificam Litteris et Principum Decretis initio mulctata, non tamen an. 1080: vetustior, ut patet e *Gregorii VII. Epistola ad Herimanum Ep. Metens.* hoc anno exarata, quae in *Collect. Concc. Labb. edit. Venet. T. XII. p. 497.* inter Epistolas *Gregorii L. VIII. n. 21.* legitur, cujusque fragmentum hic fol. 157. insertum est. Finitur in loco *Ambrosii L. III. de Fide* contra *Arrianos: Nec angelus (im) mortalis est naturaliter, cuius (im) mortalitas in voluptate (voluntate) est creatoris &c.*

X. fol. 165. p. 2. Incipit liber questionum sancti ieronimi. augustini. gregorii. Quaestiones istae excerptae sunt ex hermeneuticis horum Doctorum Scriptis. Quaestio prima incipit: *Cum in genesi septem primi dies legantur per quos deus uniuersam creationem fecit &c.* et Solutio: *Qui superius per dies singulos condita omnia retulit &c.* Adhaerent Quaestionibus his, quae ad numerum CXXXVI. evadunt, prolixiora loca inscripta: *De transgressione mandati. De*  
con-

2743

C O D I C E S

2744

*contemptu seculi transire ad amorem dei. De terrore morientis anime. De Beatitudine sempiterna celestis iberusalem. De Patientia. De Murmuratione. Quod vagatio multis occasio pereundi. De Predicatione. De Necessitate patiendi. Laus fidelium. De Militia christiana &c. Varia item rursus Collecta e PP. Conciliis, et Pontificum Epistolis nullo inter se nexu.*

XI. fol. 197. calamo rudiore Excerpta de *Libro V. VI. et VII. Originum Isidori Hispalens.* et *Liber V.* quidem paene totus, subsequi duo carptim exscripti. Initium: *Moyse gentis hebreæ primus omnium diuinas leges explicuit &c.* Non inutile futurum Exemplar ad exactiorem *Isidori promulgationem e collatione cum Dubreuiliana Paris. 1601. f.* instituta deprehendi. Ita mox sub initium correctiora videntur *Lacedaemoniis pro Lacedaemonis. ob soluerunt pro exoleuerunt. hae (Leges) discrepant pro hac. Liberorum susceptio pro successio &c.*

## DCCLVII.

<sup>247</sup> Codex membranaceus lat. Sec. XIV. Folior. 172. f. fat nitide per duas columnas exaratus est Collectio *Sermonum* diversi argumenti, quorum cum aliqui aperte nomen *Clementis VI.* Pont. qui prius *Petrus Rogerius* dictus et Monachus *Casae Dei* (Chaise — Dieu) O. S. B. fedem ab an. 1342. ad an. 1352. tenuit, praeferant; alii vero et tractandi methodo et filii ratione plurimum convenient,

non aberraturum a vero putem, qui paene universos eidem *Clementi* adscripserit. Atque id eo minus, quod reipsa extent *Codices*, qui *Sermones Clementis* complectuntur, ut videre est apud *Baluzium in Vit. Papat. Avenionens.* T. I. p. 909. *Oudinum* T. III. col. 930. aliosque. *Sermones* porro *sacri* in *Cod.* nostro contenti sunt numero XXXV. iique partim in *Dominicas*, partim in *Festa Domini, B. V. atque Sanctorum.* Primus inscribitur: *Sermo in aduentu domini dominica prima.* Initium: *Ecce rex tuus veniet tibi mansuetus. Math. XXI.º. et in ewangelio hodierno. Hugo li.º. de claustro anime dicit sic. Clemens et mansuetus dicitur animus &c.* *Sermonis* II. titulus est: *Alter sermo de aduentu domini dominica prima clementis pape,* et *Sermonis* XIV. *Sermo diei penthecostes factus per Clementem papam sextum pontificatus sui anno secundo.* Ad calcem *Serm. XVII. de corpore christi* legitur: *Expliciunt sermones de tempore. Modo incipiunt de sanctis. Incipit primo sermo de sancto Andrea apostolo. Thema: Proposito sibi gaudio sustinuit crucem &c.* Inter hos *Sermones* duo sunt de *S. Thoma Aquinate*, quorum posterior fol. 84. p. 2. non est *Clementis* VI. cum in eo dicatur mox sub initium: *Vnde clemens sextus de eo (Thoma) in quodam sermone sic ait. Sicut sol excedit stellam quia maioris est splendoris in claritate &c.*

Fol. 141. *Sermones* hos sacros excipiunt alii, qui temporum Histo-